



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus


Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus LXIX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

adjuti, in prosperis beneficii obliviscuntur accepti, se gerentes instar Demetrii, Judæis (ut testatur cap. 11.) ingratiissimi.



FASCICULUS LXIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 12. & 13. lib. 1. Machabaorum, in quo describitur: fœdus & amicitia Judeorum cum Romanis & Spartanis renovata. Tryphoni simulata amicitia & inde orta Jonatha captivitas, obsides Tryphoni missi, occisi.

Considera: **M**iram veræ & falsæ amicitia antithesin, quam caput N. 424.
 duodecimum hîc exponit. Vera amicitia florebat Romanos inter & Judæos, utpote talis, quæ (licet plurima fluxerint tempora, durantibus quibus litterale colloquium inter illas Gentes cessaverat) illa tamen nequaquam inde deleta est. Quare S. Ambros. de vera amicitia loquens lib. Off. ait: *amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera.* Giraldus Lilius teste Engelgrav. emblem. 45. p. 2. veram amicitiam hâc depinxit figurâ: stabat juvenis tectò capite, tunicâ rudî indutus, in sua fimbria depictum deferens: *vita & mors.* In fronte: *æstas & hyems.* Erat ei latus apertum, digitusque cordi intentus cum hoc epigraphe: *longè & propè.* Præsignabat ergo *flos juventutis*, amicitiam semper florentem. *Nudum caput*, amici bonum ab amico semper querendum. *Rudis tunica* laborum tolerantiam. *Mors & vita* societatem, nullò casu interrumpendam. *Æstas & hyems* prospera & adversa. *Latus apertum* candorem animi. *Cor patens* sincerum affectum amoremque. *Longè & propè* constantiam ubique locorum servatam. Verum amicum se probaverat Archangelus Raphaël juvenis speciem indutus: nec enim unicò momentò liquit latus junioris Tobia; sed quem sanum duxerat paterna è domo, hunc sanum quoque reduxit, à millenis conservatum periculis, & di-

D d d

viti

viti uxori conjunctum. Veras amicas se probaverant mulieres illæ, quæ emerant aromata, ut venientes ungerent Jesum. Harum officia ita describit Manhantius Dom. Palcæ: *in vita continuò secute sunt affectu & obsequio: dum exivit bajulans crucem, & dum ipse vestigia sua sanguine respergeret, illæ eadem respergebant lacrymīs. Adstabant Crucifixo confixa ei corde. Noctes quoque sequentes egerant vigiles ad amorem & dolorem. Venerunt ad monumentum, ut ei, quem viventem dilexerant, etiam mortuo humanitatis studiò obsequantur.* Illas sanè nec tenebræ, nec militum custodia, nec lapis monumentum contegens sejunxerat à Dilecto. Est quidem modernis Christianorum temporibus frequentius nihil, quàm amici Nomenclatura. Vox ista legitur in litteris, resonat in congressibus, auditur in compitis, crepat in saltibus, bibitur in epulis. Sed nomen nudum sine omine, etiam usurpatum ab illis, qui juratos illorum hostes se comprobant, quos talî nomine compellant: ut olim suò docuit exemplò Tryphon, fictæ amicitix vinculis Jonatham constringens, & vincitum trahens in Ptolomaida, ubi clausis post tergum portis eum comprehendit, & cæsis omnibus, quos secum habebat focis, captivum retinuit v. 49. capit. citati. Talem amicum Christus in Juda proditore expertus est, amoris osculum non alia de causa ingente, quàm ut dolò captum Judæorum manibus traderet in prædam. Non disparem amicitiam universo demonstravit Orbi meretrix Babylonica, quæ scyphum aureum in manu deferre visa est, ut dulci hoc venenò omnium corda corrumperet, fallaciis sibi attracta. Tot ergò falsæ amicitix exemplis deterritus Lector Christiane, illius solùm amicitiam quære, qui solus animam suam dedit pro amicis suis. *Non invenientis, inquit Thomas Kemp. p. 3. Serm. 2. ad Novit. fideliores amicos & potentiores in Cælo, quàm Jesum Regem Angelorum, & Mariam Dominam nostram Reginam Angelorum.*

Cerne porrò insigne fraterni amoris fidelisque amicitix à Simone datum specimen, qui etsi nôsset: Tryphonem non fore dimissurum Jonatham pro pecuniis, & filiis ejus obsidum locò accipiendis; eos tamen transmisit Scripturâ teste cap. 13. v. 17. facturus ex parte sua, quod fraternus sincerusque exigebat amor, qui extrema tentare jubet, licet irritò conatu laboreque nonnumquam defudetur. O quàm econtra exiguis quandoque pecuniis è Barbarorum dirissimâ servitute liberari possent Christiani fratres nostri; sed quàm paucos reperire, qui veros amicos se illis exhibeant? quot inter flammis pur-

purgantes animæ die noctuque clamant: miseremini mei saltem vos amici mei! quibus redimendis parvæ elemosinæ, breves orationes, pauca mortificationis opera sufficerent: & tamen hæc ipsa eis denegantur.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 14. lib. 1. Machabæorum, in quo describuntur Pax & requies Judæorum sub Simone obtenta, fœdus cum Romanis & Spartanis renovatum.

Considera: **P**acem & requiem, quam Judæi post varia belli tempo-
ra tandem sub Simone obtinuerant, figuram esse Pa-
cis & Quietis illius, quæ Electi post exantlata vitæ hujus prælia sub Du-
ce Christo erunt æternum fruituri, tunc unusquisque (ut hîc asserit S.
Scriptura v 12. & 13. capitis cit. *sedebit sub vite sua & sub ficulnea sua, &
non erit, qui eos terreat.* S. Augustinus hanc Pacem & Requiem exactius
perpendens exclamat in manuali: *ò Vita vitalis! vita sempiternæ beata!
ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, Dignitas sine tremore, opes sine
amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte per-
petuitas sine corruptione, Beatitudo sine calamitate.* Regius Propheta men-
tis oculò intuitus hunc Pacis & quietis æternæ statum, etiam in ipso
tantum atrio possidendum, profitetur plus solidæ dulcedinis afferre
unâ die, quam quidquid collectim sumptum mundus mille annis affer-
re posset. *Melior est dies una in atris tuis, super millia* Psal. 83. Dives ille
inter obscurissimas Tartari umbras & acutissimas sedens flammæ,
tantam crediderat virtutem inesse uni digito, aquis cœlestibus tincto,
ut sufficeret: omni siti & tormentis ejus extinguendis. Dominus
ille Evangelicus peregrè profectus, postquam Domum rediit, pro-
meritis servos suos remuneraturus, non est auditus dicere *posside gau-
dium Domini tui, aut fruiere gaudiò Domini tui; sed intra in gaudium Domini
tui.* Erat gaudium isthoc typus Beatitudinis æternæ, quæ cum ob-
immensitatem suam à nemine hominum possit concludi, & com-
prehendi, necesse est: ut eam Beatus ingrediatur absorbendus ab ea
sicut guttula ab Oceano penè infinito. Ita absorptus legitur ille
miles speculò exempl. 13. v. cœlest. Glor. qui à defuncto socio ad
solemnem epulas (cœlestium fercularum tantummodo umbras) in-
vitus: cum ultimo etiamnum cibo adfuisset, redire ad suos jussus,
invenit Monasterium locò domûs, de qua prius exierat, extructum
sicque

ficquè ducentis annis emanat. Ita pariter absorptus est ille Monachus, qui ab avicula suaviter cantante seductus; cum ambigeret de veritate Verborum Prophetæ regii dicentis: *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, quæ præterit*; per trecentos annos in hac unica cælestis musicæ figura detentus est. At quid multum laboris impendam in explicanda Beatitudine cælesti, dum ipse Apostolus eâ transeunter fructus fateri cogitur 1. Corinth. 2. v. 9. *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt eum.* Quæ verba altissimâ mente contemplans Silvanus Abbas, cum prolixiores fudisset preces, manus suis oculis apponens, sic eos allocutus esse fertur: *o oculi mei! diem vobis negari permittite. Claudamus hic valvas, quæ vix unquam sine periculo patent. Nihil est in Orbe terrarum, quod dignum visu sit. Quidquid ostentat terra, modicum est & vile, nihil ad Cælum. In Cælo magna, pulchra, æterna sunt. Illic abundabimus, ubi Deum videbimus.* Ut enim solis unicus radius magis Orbem, quam omnia cætera Olympi sidera illuminat: ita unica Dei fructio plus liquidum affert gaudii, quam omnes deliciae simul possessæ, vel etiam tota æternitate possidendæ. Quid ergo Christiane Lector te detinet in hac miseriarum valle, ut non toto annisu ad Cælum properes? hic vides formosam Rachelem, sed non nisi sterilem, vides fecundam Liam, sed Lippam, vides Naaman syrum divitem, sed leprosum. Miraris & permagni æstimas Regum potentias, Ducum Victorias, urbium palatia, palatiorum cameras, hortorum flores, Principum ornamenta, scæminarum elegantiam, sapientum doctrinas: sed quid hæc omnia admirationis tux sunt objecta, nisi Prophetâ teste: *scænum & flos agri?* ut pulcherrimè advertit S. Ambros. lib. 3. Hexam. caq. 37. dicens: *Dei sententia non humana est omnis caro scænum. Et verè vires enim gloria hominis in carne, & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, prematura ut flos, caduca quasi scænum, germinat vite viriditatem in speciem, non in fructu soliditatem &c. surgite! eamus!* admonet ergo me & te Christus Christiane Lector. Erigamus animam humi jacentem, ad superna dirigamus mentis oculos, volemus super inconstantiam hujus lunæ. Quidquid difficultatis habet via ducens ad patriam, unicâ Beatitudinis cogitatione dulcescet. Sicut urfi alvearia invadunt, favorum dulcedine allecti, quos melle plenos credunt, nec ullos apum aculeos timent, aut curant; ita quidquid asperitatis obviat, unica Cæli memoria expellit.

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus lib. I. Machab. in quibus describitur: Antiochus Simoni foederatus pacta rumpens. Simon cum filijs à Ptolomeo perfidè necatus.

Considera: **P**romissa hominum simillima esse anguilla, quæ dum creditur teneri, jam elapsa cernitur. Hoc eventus docuit Judæos, testante Sacra Scripturâ capit. 15. v. 27. Antiochum nullis stetisse promissis, quæ fecerat Simoni, rumpens omnia, quæ fuerat ante cum eo pactus. Hoc ipsum moderna sæpè tempora Christianos docent: dum non simplicia tantum, sed jurata quandoquæ franguntur promissa; non alia de causa, quam quòd Ratio statûs id videatur exegisse. Perpende econtra stabilem illam & infractam promittentis Dei fidelitatem: *Sponsiones ejus teste S. Chrysostomò certiores sunt, quàm res, quæ in nostris manibus tenentur.* Sponderat piissimo Simeoni; non visurum se mortem, antequam vidisset Christum Domini. Et hem! non vidit tantum, sed & visum palpavit, brachijs strinxit, portavit manibus, pectori admovit, sacro sibi univit osculo. Promiserat Numeri 17. facturum se, ut flores nascerentur in illius Virga, qui dignus haberetur sacerdotio. Et hem! Virga illa non tantum floruit, sed & amygdala produxit. 4. Reg. 14. promisit: Regem Assyriorum Jerosolymam, quam obsederat, non fore ingressurum, nec missurum in eam sagittas, & hem! non tantum hæc omnia evenere, sed Angelus Domini nocte illâ percussit Assyriorum centum octoginta quinque millia. Hanc summam Dei fidelitatem ad exactiorem mentis suæ trutinam ponens Regius Vates exclamat Psal. 118. *Principium Verborum tuorum Veritas.* q. d. tantam certitudinem divinis inesse promissis, ut dixisse, vel etiam cœpisse dicere, perinde sit, ac jam promissa implèsse. Dicam ergo cum Jeremia c. 17. *benedictus vir, qui confidit in Domino &c.*